

Dissertatio inauguralis medico chirurgica de carie ossium ... / [Johann Georg Stuss].

Contributors

Stuss, Johann Georg, 1686-
Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Litteris Krebsianis, [1713]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qd7hkkey>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DEO BENEDICENTE!
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA
DE

CARIE OSSIVM,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO

WILHELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM,
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, & reliqua,

SVB PRÆSIDIO

GEORGII WOLFFGANGI
WEDELII,

HEREDITARII in Schwarza/

MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,
SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII
ET ARCHIATRI,

THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII,
PATRONI, PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS SVI, PIA ET NVN-
QVAM INTERMORITVRA VENERATIONE DEPRÆDICANDI

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA ET CHIRVRGIA HONORES, INSI-
GNIA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA, MORE MAIORVM,
RITE CAPESSENDI,

publico examini Philiatorum subiecta

a
IOHANNE GEORGIO STVSSIO,

VVILDEMANNO HERCTNIENSI,
Ad d. X. Nouembr. Anno M DCC XIII.

IN AVDITORIO MAIORI,
Horis ante-& pomeridianis.

I E N Æ, LITTERIS KREBSIANIS.

VIRIS
ILLVSTRIBVS,
PERQVAM GENEROSIS, MAXIME STRENVIS,
PRÆNOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS,
DOMINIS
INTIMIS - ET CAMERÆ - CONSI-
LIARIIS,
SVPREMO AVLÆ MARESCHALLO,
SVPREMIS RERVM METALLICA-
RVM PRÆFECTIS,
EORVNDemQVE VICES GERENTIBVS
DECVMARIO,
SYNDICO,
RELIQVISQVE OMNIBVS ASSESSORIBVS
ELECTORALIS, SVMMEQVE
PRINCIPALIS BRVNSVIGO-
LVNEBVRGENSIS,
COMMVNIONIS RERVM METALLICARVM OFFICII
ZELLERFELDENSIS,

DISPVATIONEM HANC INAVGVRALEM

D. D. D.

IOHANNES GEORGIUS STVSSIUS.



I. N. I.

PRÆFAMEN.

SVnt in orbe literato non pauci, qui præstantissimum Chirurgiæ studium negligunt, dicentes, non conuenire Medicinæ Studiosis, vt in hac addiscenda operam nauent, scilicet hoc longe infra dignitatem Magistrorum sanitatis esse, vt seruili opere manus suas polluant : Esse insuper tam vastum discendorum aliorum campum, vt iis satisfacere haud possint, nedum superuacaneæ, vti vocant, huic parti. Distinctos proinde a longis iam temporibus esse Medicos & Chirurgos, & illorum officia, vt in Belgio hi Heelmeeesters, illi Genesmeeesters vocantur; proinde, vt quilibet *ιατρόφιλος* animum maxime ad morborum internorum externorumue cognitiones & curationes per medicamina aduertat, suadent, missis ad Chirurgos manuariis istis præsidiis.

Ast ne Medicorum Excellentissimorum olim, qui Chirurgiam æque ac Medicam exercuere ar-

tem, qualis Chiron fuerunt & Machaon, qui tantum igne & ferro instituisse Medicinam narrantur, memoriam iniiciamus, neque medicum naturæ ministrum obiiciamus, cui nihil turpe, nihilque vile, quicquid natura magistra indicauerit; hoc vnicum modo perpendendum cuius remittimus, qua ratione opprobrium, famæque suæ imminutionem euitare queat Medicus, quem sinistra fortuna in Chirurgum minus in arte peritum incidere fecit, nisi ipsemet sciat prudentes applicare manus, minimum iubere, quid & quomodo faciendum. Chirurgi Medicorum serui: at qualis dominus, qui seruo imperanda ignorat?

Dolendum equidem est, nobilissimam hanc partem medicinæ hodie fere ad solos barbitonsores esse detrusam, qui sæpissime nil minus quam Chirurgiam norunt, & in plurimis casibus ægrum apta manuum operatione destituunt. At si Medicus huius notitiam sibi acquisiuerit, non solum rudem instruere poterit, sed insuper succurrendo propriam famam & amorem ægri nulla opera sibi procurabit. Quare laudandum omnino Potentissimorum ac Serenissimorum Europæ Academiarum fundatorum illustre studium, quod in Medica Facultate Excellentissimos Præcellentissimosque semper quæsiuerint

fuissent Viros, qui Chirurgiæ Professorum nomine
vtilissimæ illius dogmata Philatriis proponerent.

Quapropter haud reor, fore multos, qui de
illius necessitate dubitent, quin potius ad eam per-
quirendam omnes attendant neruos, vt si non omni-
bus modis absolutam, saltim ita addiscant Chirur-
giam, vt olim aptos sese ductores rudibus dare o-
perariis non detrectare debeant. Cum etiam Me-
dicinæ pars Chirurgia negari nequeat, siquidem o-
mnis morbi cura aut medicamentis aut manu per-
agi solet, iniurii in semetipsos essent illi, qui eam
data occasione optatissima negligere & vilipendere
vellent.

Cum igitur vera hæc omnia sint, eo mitiorem
cenfuram spero exinde, quod coniungenda in eli-
gendo themate pro specimine Inaugurali iunxerim,
& sic dissertationem Medico-Chirurgicam exhibe-
am. Medicam voco, quia curatio eius requirit
Medici industriam, in cognoscendo, discernendo
& curando, per interna quoque data salutis præsi-
dia vsu comprobata; Chirurgicam vero, quia idem
malum Chirurgum non sinit esse desidem, sed eius
manus in secando, radendo, limando, ferrando,
trepanando & vrendo fatigat, externam sibi po-
scens curam; Medico-Chirurgicam, quoniam Me-

dici & Chirurgi officia adeo arcte hic sunt combina-
ta, vt vtroque indigeamus, neutro carere queamus.

Ipsa dissertatio agit de CARIE OSSIVM, cuius e-
laborationem adhuc pauci dedere; quoniam vero
mihi in studiorum studio aliquot iamiam huius af-
fectus exempla se obtulerunt, eo minus dubitavi illa
eruditorum examini submittere, atque de ipsa re
conscribere specimen hoc Academicum, quod me
nosse arbitrabar.

Et cum viribus meis solis haud fidam, vtpote
conscius nil esse a nobis expectandum omni exce-
ptione maius, Deum adoro, vt in labore, ad diuini
sui nominis gloriam suscepto, me periclitantem cle-
mentissime iuuet, mentisque meæ cogitationes ita
dirigat, vt quæ iusta & æqua sunt, proferam. B. ve-
ro L. precor, vt si quid inuenerit, quod lectione
dignum iudicari queat, benigne hoc ab amico acci-
piat; sin vero quid ipsi vile nimis & simplex vide-
atur, ne in malam vertat partem, sed ipsemet meli-
ora doctus solidiorem tradere deductionem velit.
Gratisimum erit nos dedisse disquisitioni penitiori
occasionem, & eius fauorem nunquam non æsti-
maturi erimus.

CAPVT I.

De

Nomine & Definitione.

§. 1.

Noti nulla datur facundia. Qua enim ratione aliquis posset notitiam rei dare aliis, cuius nec ipse prima delibauit elementa? Quapropter in thematis alicuius deductione non immerito ad NOMINIS contemplationem animum accingimus, quod vt & in nostra dissertatione fiat, æquum est. Affectus ergo, quem tractaturi sumus, ab Autoribus communiter vocatur *caries*, quo nomine res designata, optime exprimitur. Desumitur enim denominatio hæc a similitudine cariei in lignis, a vermiculis arrosis & erosis, quod nostris Germanis *Wurmstich* vocatur; cum morbus hic, quem cariem vocamus, cum ista lignorum carie maximam habeat analogiam, siquidem figura ossis ita deturpatur, vt principiis cohæsionis debitæ solutis & deiectis, solo attritu in puluerem fatiscant, & foraminulis innumeris pertusa videantur. Vid. *D. Præsidis Patbol. med. p. 108.* Perinde vero est, vtrum a carendo, vel aliunde dicatur, satis est, tum de vetustate, tum exesione lignorum, prædicari, hinc & osfium. Hinc nonnulli etiam in ichore ipso profluente vermiculos vitam motu testantes obseruasse semet ipsos asserunt. Optime omnino denominatio hæc rem denominandam exprimit.

§. 2. Eadem de causa, nimirum propter analogismum vtrumque vocatur *Teredo*, non tam a terendo Latine,
ne,

ne, quod quidam volunt, quam a Græco nomine, in vitroque enim foro vox vſitata eſt, & in Latium poſterius ducta. Hæc itidem eroſionem a vermibus, eoſque ipſos oſculis ſuis acutis duriorum ſubſtantiam terebrantes denotat. Quia quoque malum non diu vno definitum permanet in loco, ſed longe lateque ſerpendo ſe extendit, & proximiores ubique partes infeſtat, non immerito a *Boneto ſect. 8. obſervat. 1. cancer oſſis* vocatur. Alii malunt *ſphaceliſmum*, aut *ſiderationem* oſſium nuncupari; cum enim ſphacelus ſit deſtructio partium totalis & plenaria, cum putredine coniuncta, idem omnino noſtra erit caries ſeorſim in ſolidis, quod ille coniunctim in mollibus; quapropter etiam *Hornius in microtechn.* hoc nomen ipſi vindicat. Nec ineptum quoque nomen fuerit *corruptionis oſſium ulcerosa*, cum in omni carie corrumpatur, & tota oſſis ſubſtantia euertatur, quare non pauci dicto hoc nomine ſunt contenti. Qui *Gangranam* oſſium dicunt, pari modo non absque cauſa, hoc agere ſibi videntur, ii cum primis, qui omnis cariei cauſam in inflammatione ponunt.

§. 3. *Spina ventosa*, aut vt alii malunt, *Spinæ ventofitas*, magis ſpeciem quandam cariei, quam ipſam vniuerſali nomine designat, nimirum cariem internam lente ad extra procedentem. Nomen hoc primitus ab Arabibus prognatum, & ad nos verſione facta delatum. *Mangetus* exinde credit nomen hoc effictum, quoniam patiens ſentit ſe velut ſpina pungi: ventofam autem ideo appellari ait, quoniam tumore, & inflatione ſit coniuncta, ſicut ob hanc rationem Arabes œdema ventofitatem appellauerunt. Vid. *Manget. Biblioth. Med. Tract. Tom. 3. L. 13. p. 659. Pandolphi-*

commendandus, hunc affectum primo capite *ulcus cariosum* nuncupat.

§. 4. Græcis hic affectus pariter, imo principaliter, cognitus fuit, audit enim ipsi *Coo* quoque, *Galeno*, & aliis *τεχνῶν*, a verbo *τεγγέω*, *perforo*. Alii etiam sub nomine *εὐγῶς* cariem indicauerunt, unde & deriuata inde, apud ipsum *Dioscoridem* & alios, notant situm aut putredinem, a nimia ætate aut aliam ob causam contractam. Alii malunt vocari quasi *τεχνῶν δὲ τῆς τεχνῆματος*, qua mentem Galeni, quoniam hoc in affectu pertusum os deprehenditur; melius forsan *δὲ τῆς τεχνῆματος*, a vermibus lignum erodentibus, namque & os tale videtur. Reuera enim vtrumque significat. Vid. *Goræus in de pnt. Med. tit. T. p. 336.* vbi quoque adiungit: sunt autem in osse *τεχνῶν* & *sphacelus* idem, quorum vtrumque eodem nomine cariem Latine dicere possumus. Spina ventosa Græcis *παιδαρθροκακία*, quasi dicas *ἡ κακία τῶν ἀρθρῶν*, aut *malum articulorum in pueris*; qua denominatione non solum denotatur os, vti strictius sumtum subiectum, verum etiam remote id indicatur, dum iuuenibus atque viris magis hic morbus familiaris sit, vtpote in senibus vix reperiendus. Vid. *Mang. l.c. p. 660.*

§. 5. Germani nostri cum id exprimere volunt, communiter dicunt *angelauffene Beine* / fortassis a similitudine rubiginis, quæ ferro ab humidioribus aëreis particulis adnascitur, illudque totum tandem exedere solet. Caries enim pariter ossi primo exterius sub pinguis oleaginis specie incumbit, & procedente tempore profundius semper penetrat. Alii nominant eundem affectum *Fäulung der Gebeine* / nonnulli *den Bein-Krebs*. Sunt, qui in versione Chirurgicorum Germanica vocant *den Wind-*

Dorn/ eam nimirum speciem, quam spinam ventosam nuncupare solemus, cæterum hoc nomen in vulgus alias notum non est. *Woydt in suo Gazophylacio Medico-Physico* cariem vertit einen Bein Fraß/ ab arrodendo & corrodendo subiectum, secutus in eo Batauos, qui in sua lingua Beenvreter cariem pronunciant.

§. 6. Hæc ergo ista caries est, quam tractandam summus, ad meliorem vero distinctionem apposuimus *ossum*. Est enim & alia caries paulo *ἀνώγει*, *improprie* magis, reuera tamen ita dicta, siquidem prædicatur eadem rectissime (1) de carie seu vetustate fluidorum, ut vini, apud *Plinium* duobus locis, *Natur. Hist. l. 15. c. 2. & l. 23. c. 1.* (2) de carie partium etiam mollium, seu carnium. Visitur hæc non solum in putridis horum vel illorum brutorum carnibus, foraminulentis, & de statu suo viuido deiectis, sed etiam in viventibus, nominatim in carie pudendorum, quam nostri dicunt den Schanker/ de qua legi potest pluribus *Musitanus Chir. Theor. pract. Tom. 4. p. 87.* Est autem nobis caries morbus unitatis solutæ ossium, eorundemque corrosio, levis aut profunda, ab humoribus rosuis, acribus & acidis. Verbo: est gangræna seu mortificatio partium solidarum. DEFINITIONEM hanc veram esse & genuinam nemo negabit; Genus enim est morbus unitatis solutæ, *specificæ* vero *differentia* desumitur a causa, subiecto & afficiendi modo. Et his distinguitur ab *ulcere* ratione subiecti, quod enim vlcus est in carneis, id caries in osseis est fibris, elogio *D. Pras. l. c.* Distinguitur etiam eadem opera a *fractura* ossium, quæ quidem cum carie idem subiectum, non vero easdem causas, eundemque afficiendi modum agnoscit.

§. 7. Indicantur in hac nostra definitione quoque morbi *gradus*: dum enim inter malum leue & profundum distinximus, duos veluti gradus fecimus. Horum benignior est, quando superficietenus solum arroditur ossis substantia, quod in morbi principio deprehendi solet; malignior autem est, quando in ima iam ossis penetralia sese insinuauit, licet sint qui priorem gradum peculiari nomine *aspretudinis ossium* insignire, & e carierum nomine eximere volunt. Attamen cum negari nequeat, esse etiam hic corruptionem ossium ex iisdem causis, quæ cariem prognerant, nemo etiam inficias ibit, recte sub hoc capite hanc speciem tractari, & *Gorraus in definitionibus Medicis sub Lit. T. p. 326.* taxationem omnino meretur. Nec opus est principium quoddam putrefactiuum hic accusare, cum hoc sit effectus, non autem causa. Vid. *Zwing. in Theat. Prax. med. p. 320.* Idem quoque nobiscum sentiunt alii, qui fere similem huius mali definitionem dederunt; Vid. *Sennert. Institut. lib. 2. part. 1. c. 10. p. 462. Blankard. Lex. Med. p. 55. Mang. Bibl. Med. Pract. Tom. 3. lib. 13. p. 659. Fernel. Patholog. L. 7. c. 10. p. 667. Bruno, propylæo medic. p. 62. & alii.*

§. 8. Exinde fluit diuisio cariei, quæ apud varios varia habetur; Sic alia est *producta, inueterata*, quæ per multos iam durauit annos, & vires acquisiuit eundo, vel *consistens* quoque: alia vero *incipiens*, vbi tantum primordia arrosionis deprehenduntur. Pariter quoque alia *caries* est *superficialis*, exterior, in dentibus etiam visenda quandoque, circumdans extrema ossis; alia *profunda*, totum exedens & corrumpens, seu centralis. Est tandem & alia *patens*, quæ osse denudato facile cognoscitur; alia autem *latens*, seu occulta, ab interiori ossis parte in-

22 DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA
cipiens, quare tunc loco inaccessio moram trahens ma-
lum incrementum capit, nec nisi plane corruptum se-
tandem manifestat. Itidem alia est *vniversalis*, vt in lue
venerea sæpissime totum corpus adeo affligitur, vti cele-
berrimus *Nuckius* tale sceleton totum totum cariosum
monstrauit, quod vix cohæsit, cui iunxerat inscriptionem
Anatomicus hic sagacissimus: amor intimis hæret me-
dullis, citante *Heynio de morb. ossium p. 56.* aut *particularis*,
cuidam membro propria, vt cranii, dentium, brachii,
femoris &c.

§. 9. Alii aliter distinguunt cariem, quisque prout
sibi videtur commodum. Sic Excellent. *Woydt Prof.*
Publ. Regiomont. l. c. tres eius facit species, 1) dicit Teredi-
nem, 2) spinam ventosam, 3) autem pædarthrocacen.
Melius adhuc videtur scopum attingere *Lemery in tr. suo*
cui titulus *der Bein Arzt lib. 3. cap. 2. p. 329.* dum quintu-
plicem exponit cariem, quæ diuisio causas habet pro fun-
damento. Hinc 1) dicit *tumorosam*, malignam, ab exostosi
venerea scorbutica, in rhachitide, potissimum ab intra
inuadentem; 2) est *ulcerosa*, humida, scorbutica, sine
tamen exostosi, a sero acri, ab extra rodente. 3) *sicca* ab
aëre ossa periostio denudata alterante, 4) quæ a *corrosiuis*
applicatis, aut abscessu sero nimis aperto inducitur. 5)
antiqua, inueterata, a continuo vlcерum antiquorum vi-
cinorum affluxu & contactu. Optime omnium autem
arridet nobis *D. Præsidis* sententia, qui in *Patbol. Dogma-*
tica p. 433. in tres cariem distinguit species: 1) *simplicem*,
latentem magis, sine tumore, siue *internam*; 2) *manife-*
stam, cum tumore, siue *externam*, signis non indigentem.
3) *Symptomaticam*, quæ aliis morbis magis superuenire so-
let.

let. Cum ergo omnem cariem, qualemcunque etiam faciem præ se ferat, aut a quacunque causa oriatur, nervosa hæc diuisio complectatur, merito eam retinemus & hoc loco, cuius tamen dissentienti arbitrium suum relinquentes.

CAPVT II.

De

Subiecto.

§. I.

 Gitur post, quam breuibus vidimus, quid sit caries, inquirere nunc decet, vbinam eadem inueniatur.

SVBIECTVM ergo eius sunt ossa, sicut in definitione allata iam fuit dictum: hæc enim pars affecta sunt, per quam morbi limites definiuntur, & circumscribuntur. Simulac enim ab osse ad carnem extenditur, non amplius affectus dicitur caries, sed vlceris nomine venit hæc putrefactiua corruptio; ideoque sola tantummodo ossa considerationi nostræ paucis in hoc capite erunt subiicienda.

§. 2. Ossa igitur partes corporis sunt dura & solida, ex fibris osseis in longum porrectis, a natura debita cum duritie fabricatis, ad triplicem potissimum vsum instituta. Sicuti autem totius in ouo materno foetus prostant filamenta: sic quoque ossium similitudo ibi præsentatur, postmodum in editis maior eorundem datur conspectus, efformatis iam satis superque ossibus, quæ tamen maximam partem adhuc sunt mollia. In ipso igitur embryo-
ne ossium locum occupant cartilaginee, aut si proximius velis, ossa in fieri, quas præcedunt tendines: Hi enim

14 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
procedente tempore in cartilagine, hæque rursus in ossa mutantur. Cartilagine quippe nil aliud sunt, si rem rite iudicaueris, quam compages fibrarum tendinosarum, quæ vbi abstracto magis humido, aucto indies naturali calore, indurescunt, osseæ omnino fiunt prosapiæ.

§. 3. Materia ipsa, si Chimice examinetur, tribus suis constat principiis, sale, sulphure & mercurio. Per sal Chimicis omne denotatur sapidum, sal enim omnis saporis parens. Inesse autem illud probat sal volatile elicatum C. C. eboris, cranii humani, omniumque ossium animalium. Sulphur, omnis odoris & cohæsionis principium, pariter per Chemicas operationes ad oculum demonstratur; non solum enim gelatina, quæ ossibus firmitatem foeneratur, & qua absumpta fatiscunt in friabilitatem ossa, ex omni ossium genere coctione facilis prolectu, verum illud γλίκερον & glutinosum osium hoc probat; sed & oleum post destillationem spiritus, sale volatili prægnantis, residuum, empyreumaticum, graueolenti odore nares infestans, eiusdem locuples testis existit. Mercurius tandem, qui Chimicis omne volatile denotat, ob sal volatile alcalinum negari nequit.

§. 4. Quapropter cum sal hoc in ossibus alcalinæ sit naturæ, quod ex dictis patet, omne autem acidum & alcali inimica sint salia, se inuicem destruëntia, quid potest esse facilius, quam vt præualente acido alcalinum sal destruat, & sic structura ossium iacturam pati necessum habeat. Vt autem proposito inhæreamus, de generatione ossium, si quis penitus informari cupit, euoluat *D. Præsidis Physiologiam Med. p. 219. eandemque reformatam p. 203. Verheyneii Anatomien p. 11, 12. Dolaum in oper. part. 2. p.*

723. *Schenckium in exercitationibus Anatom. lib. 1. sect. 1. cap. 16. exercitat. 2. p. 83. Heyn. in tr. de morbis ossium, aliosque.* Et licet *Iohannes Baptista van Helmont tractatu de retentis p. 497.* duritiei causam in ossale quoddam coagulum reponat, aliique alia pro generationis causa proferant; atamen notioribus contentis priora nobis satisfaciunt.

§. 5. Aliter paulo materialia ossium principia describit aut magis implicat *Ouerkamp. in Chirurgia sua noviter inuenta lib. 2. cap. 5. p. 576.* ubi dicit: ossa conflare e sale volatili, spiritu, oleo, cum parte salis fixi & acidi volatilis, cui adhuc aliquid immixtum esset per Chimiam separabile innominatum. Cui fere subscribit *Doleus, excepto illo innominato Encycloped. Chir. lib. 6. c. 7. p. 725.* Clarissimus ille Medicus Anglus *Clopton Haver in Osteologia nova discursu I. p. 36.* sequentibus, erudite satis de his omnibus disserit, concludens tandem, duas reuera tantum ossium esse partes materiales, sal & terram, reliqua autem tum ex medulla, tum ex vasis sanguiferis & interstitiis filamentorum ossorum constare, ad quem curiosum lectorem remittimus.

§. 6. Spectatur autem in ossium contemplatione horum ante omnia inuolucrum, quo plurima, exceptis dentibus & vnguibus, nisi posteriores ex horum numero eximere velis, inuestiuntur, sub nomine *periostii*, quod dicunt pelliculam membranofam sensus exquisitissimi, ad ossa inuoluenda, iisque acutiorem sensum subministrandum fabricatam, docente hæc fusius *Laurembergio in Anatom. corporis humani exercit. 12. p. 484. §. 25.* Hæc autem adeo arcte adhæret ossibus, ut vix ab iis separari queat, nisi discindatur aut dilaceretur, quod ipsum ad tanto
maio-

16 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
maiolem defensionem durarum partium factum est. Perio-
stium vero ipsum licet per omne corpus eiusdem fi-
brose membranacee sit texturæ, eius nomen tamen pro
conditione loci variat, unde, quæ capitis ossa inuestit,
pericranium vocatur.

§. 7. In ossibus ipsis spectamus figuram summe va-
riam, cum alia sint rotunda, alia teretia, alia plana, gib-
bosa, arcuata, spinata &c. Neque duritie omnia æquali
gaudent, prout nimirum magis aut minus porosa cauaque
sunt. Interim durities tamen osium est proprietas, adeo,
ut horum emollitio præternaturalis status omnino sit ha-
bendus, cuius rei exempla ante nostra iam tempora *Ruel-
lius, Hollerius, Fernelius* & alii, etiam recentiores, typis
consignarunt. V. *Bonet. Anatom. pract. lib. I. Sect. 5.* Adde,
quod dexterrimus ille Medicorum Daniæ *Simon Pauli* in
quadripartito suo Botanico idem animalibus accidere asserat,
quando de gramine quodam Norvvegico per errorem
comederint. Pariter etiam cavitates omnibus proprie sic
dictis ossibus sunt communes, licet non eiusdem magni-
tudinis conspicuæ, maiores enim maximis, minores vero
longe minoribus gaudent, adeo ut in aliquibus nil nisi
foraminula quamplurima inter duos solidos parietes con-
spiciantur, quod apprime patet in cranio intra utramque
tabulam.

§. 8. De osium nutritione Anatomici certant, qua-
ratione fiat; alii enim medullam, quæ in cavitatibus ma-
iorum reperitur, verum alimentum, alii eandem tantum
excrementum dicunt, & huius loco venas & arterias, quæ
ossa transeunt, substituere laborant. Nos, ne dissertatio-
nem ultra limites extendamus, satis esse credimus, si

B. L. ad utriusque partis sectatores & defensores remittimus. Occurrit adhuc in ossium contemplatione eorundem articulatio, seu connexio alterius cum altero, quæ varia est maxime, potissimum vero in articulationem laxam & strictam, aut, ut Græci dicunt, *Diartbrofin* & *Synarthrofin* distinguitur. Alia tacemus, quæ tum sub his comprehenduntur, tum etiam sedulo Anatomices scrutatori haud erunt ignota. Vfus autem, ne quid prætermittamus, creditur potissimum ex *Coo* triplex: 1) corpori fœnerari firmitatem & stabilimentum, 2) munire interiora ab iniuriis externis, & 3) iuare externam figuræ pulchritudinem.

§. 9. Esse autem hoc verum affectus nostri subiectum, probatum nunc ibimus virorum experientissimorum observationibus: neque enim vllum in homine os reperitur, quod huic morbo non queat fieri obnoxium. Facillime omnium ossa *capitis* eroduntur, quod maxime humiditatibus exposita sint. Primas inter illos tenet *diuinus Senex*, qui cariem ossium capitis instar omnium accurate describit, merito hinc legendus *l. 2. de morb. c. 7. & c. 24.* Sic & *Paræus in Chir. lib. 9. cap. 20.* ossium horum cariem observavit, & Excellentiss. D. *Slevogtius*, Professor huius Academiae celeberrimus, Patronus & Præceptor meus submisisse venerandus, cariem cranii in specimine pro loco anno 1695. habito egregie deduxit. *Amatus Lusitanus* similem recenset casum *cent. 1. curat. 76.* Et *Dodonaus in observ. cap. 18. p. 623.* frontem in Monacho carie exesam vidit, suisque manibus palpavit cum stupore & admiratione. Sic *Barbette Anatom. Pract. p. 104.* meminit ægri ossis lacrymalis cariem perpeffi. *Overkamp. loco citato observ. 7.* refert, fabrum quendam laborasse carie decenni, qua non solum maxilla,

xillæ, sed & ossa nasi dimidia cum orbita oculi corrupta fuerunt. *Bonetus* in Nobili lue venerea laborante summam omnium faciei ossium, nasi, utriusque maxillæ vidit erosionem, vnde facie collapsa aspectu horridus misere obiit. *Claudius Deodatus* descripsit cariem in maxillis. *V. Hildan. Chirurg. cent. 4. obs. 21.* Sic etiam *Sebenckius* in *obs. med.* puellam allegat, cuius inferior maxilla penitus corrupta fuit, *observ. Med. lib. 1. p. 213.* *Mangetus* in *Biblioth. Med. Pract. Tom. 3. lib. 13.* refert: meretricem nobilem Venetiis cariosam habuisse epiglottidem, quæ ipsa tandem deciderit in asperam arteriam, ex qua ægra vna cum foetu fuerit suffocata. Iuuenis gibbosus vertebra dorsi octauam & nonam cariosam habuit, observante *Hildano observat. Chir. cent. 4. obs. 66.* *Bonet. l. c. observ. 9.* notauit cariosam costam spuriam cum fistula; similem etiam vidit *Tulpius observat. medicin. lib. 3. c. 28.* Sic & celeberrimus *Altdorffensium* Professor *D. Iob. Maur. Hoffmannus*, Fautor & Præceptor meus deuenerandus, in ægro quodam Patauii vidit carie confectum olecranon. *Heynius* tentamine *de morbis ossium p. 56.* meminit fracturæ brachii leui nisu extensi adeo cariosi, ut minimo tactu fatisceret in cineres. In Sexagenario Gallico malo laborante totum brachium exesum; & in puero X. annorum os costæ, digiti cuiusdam in dextra, eiusdemque lateris cubitum, præuiis tuberculis, cariosum vidit laudatus sæpe *Bonet. l. c. sect. 4. & 5.* Item *Manget. l. c.* vidit in quadragenario metacarpum, vlnam & caput radii; in puerulo metacarpum sinistræ manus; in puella carpum utriusque manus, tarsum utriusque pedis & vertebra lumbares carie perforatas. *Bonet. sepulchret. lib. 4. sect. 2. p. 1543.* metacarpi ossiculum, quod pollicem sustinet, ita corruptum

ruptum, coloris tamen albi, recenset. *Benivenius abditorum cap. 79.* os coxendicis in ægro peste laborante in cinerem versum notavit, citante *Schenckio*. Parisiis in nosocomio æger paruo motu fregit os femoris intus cariosum, ut tradit *Heyn. l. c.* Vir trigenarius genu cariosum habuit, qui inde medulla colliquata & gangrænosa facta obiit; vid. *Mang. l. c.* *Thomas Bartholinus* in milite vidit tibiam sic consumptam ad V. digitorum transuersorum latitudinem. Itidem in puella calcanei & metatarsi summam cariem legimus in *Bonet sæpius cit. Anatome*. Tandem quoque *Marchette in observ. Medic. Chir. 56.* os femoris cariosum signavit ex sclopeti vulnere. Coronidem imponat hisce *Nuckii* Celeberrimi sceleton totum totum cariosum, adeo ut præ foraminulorum copia vix cohæreret. Ut taceamus frequentius etiam occurrere & visendam esse cariem in osse tibiæ tanquam magis obuiò, nec adeo tecto, vnaque maiori; vnde & effectus medicaminum aduerti, & operationis manualis oculis vsurpari magis potest.

§. 10. Ne autem & ipse observationum mearum leuium B. L. nescium dimittam, earum tres hic annectam. Berolini igitur ciuis honestus monstrabat mihi tibiam tumorem & nodosam, ab imperitis Chirurgis pro simplici tumore curatam, quam vero, vbi cariem reperi, cauterio sanabam. Postea cum in Academia Norica literis incumberem, Matrona Nobilis occurrit, cariem in cranio ostendens, eodem medio & aliis curata. Tandem etiam in hac alma Salana Studiosus bonarum literarum, beate nuper defunctus, malo annoso cum erosione vomeris laborabat, quem pariter ante obitum prius feliciter restitui. Quare nihil restat, quin cum *D. Præfide Pathol. Med. p. 108.*

concludamus: verum omnino huius mali subiectum constitutere ossa, eaque omnia eidem esse obnoxia, adeo ut nec ungues ipsi ab hac corruptione immunes existant, quos saepe erosione deturpatos, asperatos & deformes a scorbuto videas. Plura exempla videri possunt *Ephem. German. Dec. II. Ann. III. V. VI. X.* & passim apud alios.

CAPVT III.

De

Causis.

§. I.

Vod in prouerbio dicunt: felix qui potuit rerum cognoscere causas, id nemo inficias ibit: harum enim cognitio tam utilis est, quam ardua. Difficiles enim esse eas inuentu, præcipue in medicis, probat autorum maximus de eis dissensus; Utilitatem autem praxis quotidie commendat, siquidem earum cognitio huius est fundamentum, & non inepte morbus cognitus semicuratus præsumitur: atque hoc vnicum est, quod Medicum rationalem ab empirico distinguere potest. Quapropter huius loci omnino opus putavi, ut in causis huius mali enormis euoluendis occuparer, quas exinde pro leui ingenii modulo breuibus expositurus sum.

§. 2. Sistuntur autem nobis diuersæ hic opiniones Autorum. *Cartesius* enim, ut in plurimis noui aliquid quærit, ita & hic particulas accusat angulares acutas, quæ vel in succo nutritio existentes ex arteriolis ad ossa deuehantur, vel in lymphæ complexæ ductibus quibusdam propriis, lymphaticis puta, ad ossa progrediantur, aut cum ipso neruorum succo poros ossium occupent, & lanci-

lancinatione sua eorum interstitia adorientes dissolutionem tandem importent, & sic ossis substantiam corrumpant. *Theophrastus Paracelsus* itidem culpam ponit in sale, quod fibras carniū & vasorum destruat, ipsamque ossis essentiam illæsam non sinat. *Helmontius* profert laticem corrosivum coagulo suo osseo contrarium, illudque corrosione destruentem. *Sylvius* spiritum producit acidum impurum in corpore existentem, a sola aciditate provenientem, doloribus præviis: iuxta hunc enim, citante *Dolao* in *Encyclop. l. c.* acrimonia a fixo sale lixiuo in loco suo permanens vrit partem affectam, spiritus autem acidus creberrimis lancinationibus partem lacerat & perforat, illiusque venenum penitus se insinuans vix curationi locum relinquere aſſerit. Tandem magnum illud Medicorum lumen *Galenus* causam deducit ab acrimonia humores corrumpente, quibus læsa pariter ossa corruptionem subeunt.

§. 3. Qui a principiis Chemicis morborum causam deducunt, pariter inveniunt, quo suam sententiam stabilire possunt. Cum enim, ut supra dictum, ossium compages ex sale, sulphure, & mercurio constituatur, facile coniectu, quod, si quid horum vacillet & destruat, os ipsum iacturam subire & damnum sentire opus utique habeat. In nostro quidem affectu communi assertionem accusant sal ossium, quod nimirum, ubi exaltatur magis magisque, tandem supremum actiuitatis gradum acquirit. Sicut autem hoc in salium præparatione notissimum est, quo sæpius labore repetito soluuntur & coagulantur, eo maiorem nanciſci acrimoniam, ita & hic contingit; quo magis enim exaltatur sal ossibus inimicum, eo acrius id efficitur, adeo ut cau-

22 DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA
stica fere qualitate præditum non solum interstitia fibra-
rum extendat, sed & ipsarum substantiam rodât & corro-
dat, adeoque totum os de tono suo decenti viuido dei-
ciat. V. *Musitanus in Chir. theoret. pract. Tom. 1. c. 21. pag. 143.*
Nec illi forsan reprehendendi erunt, qui sulphuris accu-
sant vitium, siquidem hoc omnis cohæsionis habetur prin-
cipium, proinde, cum caries id efficiat, vt ossis particu-
larum continuitas ab inuicem dissoluatur, non errabimus,
si sulphur in iis destructum aut vitiatum dicamus.

§. 4. Vt tamen mentem nostram tanto magis ex-
ponamus, placet distinctiones istas causarum consuetas
adhibere, vbi Medici morborum causas in immediatam,
mediatam & remotas diuidunt, intelligentes sub istis ea,
quæ absque aliorum interuentu morbum producant; sub
illis, quæ prioribus antecedunt; sub hisce vero occasio-
nes ansasque priorum, quæ abesse & adesse absque morbi
incremento & decremento possunt. CAUSA proinde IM-
MEDIATA humor est salinus, acris, acidus, rosarius, qui
colligitur intra aut etiam ad ossa, intransque eorum po-
rulos dissoluit eosdem. Salinum esse humorem affirmare
non dubito, siquidem non solum dolores lancinantes, qui
eiulatu & trepidatione ægrorum se satis exerunt, id pro-
bant; omne enim sal spiculis suis pungit & vellicat, quale
quid videtur in ipso morbo Gallico, vbi dolores noctu
calore lecti foti, iuncta attentione præ die maiori, ita
excruciant hominem, vt vix se continere sciat; sed etiam
mollities & friabilitas partis affectæ, vti ossium est in car-
nibus, quæ aceto simplici exponuntur, vt assaturæ eo ma-
gis aptentur, quas vulgo *Sauer-Braten* vocamus, qua-
rum ossa pariter a fale aceti ita emollita sunt, vt leui tactu
fricari

fricari queant. Esse talem huius humoris acrimoniam, nullus forsitan negabit, qui effectum considerabit, aut si minus e sententia nostra iudicare voluerit, pus inde profluens gustare iubebimus, & illico nobis assentiet, percipiens acorem lingua propria. Talem degustasse acerrimam instar aquæ fortis materiam in glandulis contentam in cadavere lue venerea extincto semet affirmat *Masson. in disput. inaugur. de Carie Ossium* sub D. Io. Maurit. Hoffmanno P. P. *Altdorffii habita 1681.*

§. 5. Ex acidorum autem classe hoc sal acre desumendum esse, certum est, tum quod illius acrimonia a stagnatione facta sit, omne autem stagnans magis ad acida inclinat, quod etiam gustus certissime poterit determinare, ut in lue Gallica lymphæ talis existere vulgo fertur: tum etiam quod remedia contra cariem non acida, sed alcalia, lixiua, saliaque volatilia esse debeant, ut inferius docebitur in curatione. Nunc vero tritum hoc est: Contraria contrariis curantur; verum alcali contrarium est acido, proinde illud acidum magis esse oportet, quod per alcali sanatur. Rosuam autem sali vim quis denegabit, cum satis pateat, omne sal ad actiuitatis gradum perductum rodere addita sibi corpora, quare indita ipsi & cum eo commixta recluduntur, diuisis ab inuicem particulis, imo ipsis atomis: quod & ipsa perforatio substantiæ affirmat ossæ, ea enim permultis pertusa foraminulis cribri quandam speciem haud inepte repræsentare videtur. Proinde in hoc omnes dictorum ante autorum sententiæ, si rite conciliare volueris, collimabunt, siquidem vnica tantum veritas est, licet ea varie proponi non renuat.

§. 6. Vti vero acrimonia acida rosua, siue in concreto, siue

24 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
siue in abstracto consideretur, omne absoluit punctum;
Ita liceat nobis CAUSAM MEDIATAM cariei ipsius laudare
ex humorum, laticis cumprimis, vitiis, præter qualita-
tem illam eminentem, & localiter hic illic se exerentem
ad hunc effectum, eorundem motum geminum, tum
ρευματισμὸν, tum *συναθροισμὸν*. Ille fit *ἀθρόως καὶ βιαίως*,
confertim & cum impetu, adeoque dolore satis forti præ-
uio, imo & calore, inflammatione, & suppuratione. Ex-
emplo sit vel sola paronychia, quam cariem consequi
toto videmus die, & alia. Hic vero paulatim & successi-
ue, adeoque magis sine dolore; cuius exemplum in lue
venerea occurrit, quamuis nec priori aliquando excluso.
Vtrisque velificatur *σύσις*, obstructio pororum, stagnatio
& extrauasatio, siquidem omnis humor extrauasatus, licet
alias sanissimus & integerrimus, extra oleas vagatus, mo-
ram trahens in peregrino loco, acris subinde euadit, adeo
vt, quo diutius immotus ita permaneat, eo maiores indices
hæc acrimonia accessus sentiat. Si enim sanguinem ex ve-
na hominis, alioquin sani, emissum gustes, eumque
absque omni acredine deprehendas, infusum & occlusum
in vase apto, si per tempus aliquod reponas, habebis tan-
dem serum eius adeo acre salinum, vt tantam salium co-
piam eidem infuisse maxime sis miraturus. Quare & in
vulneribus succedens hæc acrimonia non solet emanere,
nisi diligenti defensione Medici præcaueatur. Et hæc est
illa, quam modo citauimus, salis exaltatio, in qua par-
ticulæ salinæ solutæ actiuiores redduntur, vnitæ quippe,
fluorem indeptæ, *διαχώρησιν* passæ, & corruptionem quan-
dam subeuntes, balsamico temperante sulphure non obtu-
sæ, sed exuperantes potius, & in debile vndecunque os hoc
illud insinuata, motu vel generationis, vel locali velificante.

§. 7. Tandem ut & REMOTAS inquiramus in CAV-
sas, easdem distinguemus secundum naturales, nonna-
turales & præternaturales res vulgo receptas. Ex NATV-
RALIBVS ÆTAS confert potissimum puerilis & florida, ut-
pote quæ humoribus magis præ cæteris abundans mor-
bum hunc fouere solet, quamuis nec senium hic fuerit
exemptum, ut adducta capite præcedente exempla mon-
strarunt non vna. Quoad TEMPERAMENTVM, Cholericum &
Phlegmaticum potissimum huic morbo obnoxia sunt, cum
illud salibus non careat, hoc autem propter suam viscedi-
nem & humorum impuritatem facillime cacochymiam
acquirere valeat.

§ 8. Ex NONNATVRALIBVS AER maxime respicien-
dus, qui, si ab omni vulnere & vlcere arcendus est, certe
ab hoc malo diligentissime. Experientia enim docuit, so-
la huius admissione ossa carne nudata cariem concepisse.
Sunt qui culpam particulis salinis acidis nitrosis in aëre
existentibus adscribunt, sed qui illas haud statuunt, ob-
structioni pororum, quam aer frigidior in ossibus excitare
solet, hoc tribuunt; vnde fluxus circulatorius humorum
impeditus stagnat & acescit. ASSVMPTA pariter huic malo
ianuam pandunt, dum alia salia augent in copia, alia
coagulando & per se crassa obstructioni fauent. Talia
sunt cibi aere aut fumo durati, muriati, austeri, acidi,
fructus horæi, imprimis immaturi, nimius salium vsus.
Sic & potus aquarum tartarearum obstruentium, humores
reliqui non defecati, fermentifici, acidi & similia. Ad-
iungimus etiam his *medicamenta* quædam, quorum im-
prudens vsus malum hoc generare potest, nimirum *oleo-
sa & acida*, quæ humores coagulando ineptos reddunt, aut

26 DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA
poros ossium obstruendo circulationem impediunt. Vid.
Verduc in script. Chirurg. p. 64. & Overkamp. sæpe citatus
p. 376. Qui corpus nimis mouent, aut vigiliis vltra modum
indulgent, ii dissipato & euaporato quasi nimium humi-
do salia concentrant, eaque acria sibi reddunt: e contrario
quies nimia & somnus excedens lympham copiosiore
progenerat, quam quæ decenti modo eliminari possit,
vt proinde stagnans cariem concipere facilius queat.
Par ratio est EXCRETORVM & RETENTORVM; siue enim hu-
midum nimis excernitur, fit salium concentratio, siue par-
ticulæ salinæ excrementitiæ retinentur, euadit pariter sa-
lium vitiositas. Demum qui AFFECTVS spiritus deliciunt,
& lympham incrassant, apti quoque nati sunt ad cariem
progenerandam, aut natam producendam.

§. 9. Ex PRÆTERNATVRALIBVS potissimum ii accu-
sandi erunt morbi, qui aut salium abundantia, aut ma-
teriæ visciditate obstruente gaudent. Primarium sibi locum
poscit *lues venerea*, quæ viscido & acido nititur fundamen-
to; huic caries vt plurimum iungitur, quod ex citatis su-
pra exemplis satis patebit, vt & *Dodonaus l. c. cap. 18. p. 623.*
tumores, atheromata, aut melicerides venereas cariem fo-
uisse citat. Addi potest inter præparata Anatomica in mu-
seo Bidloiano asseruata n. 5. Cranium lue venerea exesum,
& plane stigmatibus deformatum. Par ratio est *ulcerum,*
fistularum & vulnerum antiquorum, quæ pure abundanti
os vicinum alluunt, quorum quotidie videmus exempla.
Vid. *Etmüll. oper. part. 3. p. 109. Overk. l. c. p. 376. Zwing. in*
Theatr. prax. med. p. 321. & ipse magnus Cous aphor. VI. aphor. 45.
Sic *Purmann* ex carbunculo itemque ab *erysipelate* cariem
vidit, quam describit *obs. 3. & 78.* Vigo materiam putridam
vene-

venenosam accusat, cum dolore intolerabili, qualis deprehenditur in lue dicta, cacochymia serosa, scorbutica, abscessibus & aliis. A *variolis* item ortam fuisse cariem, ex beneuola Magnif. D. *Slevogtii*, Præceptoris fidelissimi communicatione nuper admodum vidimus in infante, cuius post variolas mala altera tuberculo infestabatur, quod ad suppurationem tendens apertum tandem superioris illius lateris maxillæ monstrauit cariem, vt pars eius cum duobus dentibus, canino & molari, abscederet. Præ omnibus vero *violentia* externa suum confert symbolum, quod accusat *Lemery Chir. ossium lib. 2. c. 11.* qui etiam a *luxatione* cum abscessu & fistulis morbum obseruauit. *Zittemann.* in *med. forens. ambustionem* in palato notauit cariem excisasse *casu 58. cent. 3.* Laudatus ante *Bonetus* memorat cariem in *obseruat.* suis ab ictu selopeti in sinistro genu facto. Alii ex leuiori certo motu eius prouentum notarunt, inter quos omnium loco Excellentiss. D. *Slevogtium* producimus in *disput. superius citata*, vbi a pyro immaturo in caput pueri proiecto hoc malum ortum traxisse monstrat.

§. 10. Sunt, qui *vermes*, ab affectu hoc vix separabiles, pro causa morbi venditant, & ab his rosionem & perforationem deriuant. Verum cum potius eos morbi sæpius effectus statuam, vtpote qui post tempus tantum inueniuntur in loco carioso, nec statim primo tempore, satis est, non vni soli & semper animatæ putredini cariem acceptam ferre. Extraordinarie vero de eorum existentia nullus dubito Excellentiss. D. Præceptoris *Slevogtii* observationibus fides, vt & *Parai*, Chirurgi suo tempore consummatissimi, qui eos iam notauit & ad figuram ver-

28 DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA
miculorum caseos depascentium atro capite describit.
Elegans hanc in rem obseruatio legi meretur de vermē paronychia causa apud *Agricolam Chirurg. paru. & aucta Tr. V. p. m. 483.*

CAPVT IV.

De

Signis

§. I.

NE autem Medicus, tum in morbi cuiusdam cognitione, tum in euentus illius præcognitione fallatur, prospectum est signis duplicis generis, ita vt ex his morbi cognoscatur essentia, exinde euenientia. Verum cum non omne signum omne tollat punctum, cum multi iisdem signis gaudeant, aut alius facie ludant morbi, non tuto vni soli signo fidere licet, atque longe consultius ex iis simul sumtis prudens iudicat Medicus. Igitur ne & hic in proposito nostro deficiamus, placuit hoc loco pauca de signis proponere, quibus affectus noster oculis medici se manifestare solet.

§. 2. Cognitionem ergo adiuvant SIGNA DIAGNOSTICA, quæ hoc in malo sunt duplicia, pars enim in carie manifesta est patente, pars autem in occulta & latente deprehenditur. Signa, quæ cariem patentem spectant, sunt in ipso osse, adeoque vere pathognomica, quæ in omni carie & semper adesse solent. (1) occurrit *color* ossis alteratus & præternaturalis, liuidus, flauus, aut niger, pro maiori aut minori sulphuris destructione. Notum est, ossa, quamdiu viuunt subrubicundi quodammodo vel al-
bicantis

bicantis potius extrinsecus esse coloris, ob nutrimentum, quod a sanguine hauriunt in iis contentum, & sulphur oleosum adhuc inhærens; emortua vel quasi non item, sed ut plurimum, liberiori præsertim exposita aeri, albent magis ob sulphuris huius & nutrimenti sanguinei defectum. Id & in nostro desideratur affectu, ubi sulphur a sale solutum & deturpatum a naturali colore discedit, & ob corruptionem salis simul nigrescit, licet & hoc non careat exceptione, cum sint, qui ossa cariota candida vidisse se asserunt.

§ 3. (2) Spectatur ossis *consistentia* vitiata. Ossibus nimirum propria est durities; in carie vero ossa adeo mollia, ut scalpro disiungi, imo unguibus fricari possint. Solida alias sunt ossa & fibrillis densis arcæ se complementibus composita; in carie & hoc perditur, nam fibræ a sale corrosivo acri discerptæ foraminula pariunt flatibus viam concedentia. (3) Ossis vitiantur *accidentia*: nimirum in statu naturali ossa sunt magis sicca, ad sensum lævia & æqualia, in carie vero *pinguia* ob humorem putridum, & *aspera* atque *inequalia* ob eandem materiam rosuam excedentem, quare & tota *frusta* ossis corrupti per vlcus excernuntur a natura compulsæ.

§ 4. Quæ diximus, ea omnia in eo saltem valent casu, ubi os integumentis suis & carnibus spoliatum nudum conspicitur; at ubi in oculos illud non incurrit, difficilius aliquo modo iudicatur caries: attamen non desunt signa quibus ea indicatur. Exploratio enim instituenda est, quæ fit vel oculis, vel manu, vel naribus, vel auribus, vel instrumentis. Oculis conspiciamus (1) *pus* inde profluens, non quidem laudabile & bene coctum, sed saniosum, te-

30 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
tri coloris, liuidum, viridescens, fluidum, quæ licet & in
vulceribus sordidis aliis deprehendantur, attamen hoc no-
tabile est, quod in carie pus sit immoderatum, nec vlceri
respondens quantitate, adeoque facile inde noscitur. Acre
illud est, vti ab humore tali rosuo solum expectari pot-
est. Videmus 2) *carnem circumiacentem* deprauatam, palli-
dam aut liuidam, flaccidam & spongiosam, nimirum a pu-
trefactione incipiente, cui calido extincto & humido ab-
undante omnia corpora sunt obnoxia. V. *Cous VII. aphor. 2.*

§. 5. Videmus 3) *vlcus* in corpore existens carni-
bus sese insinuans, earumque substantiam corrumpens,
quod si profundum est, adeoque ossibus vicinum, atque
per multa iam durauit tempora, nec vllam curationem ad-
mittit; (licet enim quandoque talia videantur curata &
consolidata, breui tamen tempore post iterum collecta
interius materia, recrudescent:) teste diuino *Hippocrate*
VI. aphor. 45. & VII. apb. 77. cariem indicare solet. Horum
censum quoque subeunt *Gummata Gallica* annosa, quæ
nec resolui, nec cicatrice obduci gaudent, iuncto simul
ingenti dolore capitis in lue ipsa, quod notanter ad-
ducit *Musitanus Chir. Tom. 4. cap. 21. p. 143.* Videmus 4)
tandem ipsas *ossis particulas* abscedentes & excretas cum
pure, naturæ prius beneficio aut medicamentorum ope ab
osse separatas. Tacemus, quod & lintea carpta vlceri immis-
sa, aut emplastra superimposita, si nigredine tingantur & fœ-
teant, maxime inferiori parte, sint signum quasi infallibile.

§. 6. Manibus se manifestat interdum tumor, vbi
aucta quasi videtur ossis magnitudo, id vero potissimum
in eo fit mali genere, quod ab intra incipiens ad extra
protenditur, nec cum vlcere coniunctum est. Quamuis
enim

enim hoc multi negent, posse sine vlcere existere cariem, experientia tamen quotidiana docet, interdum etiam absque illo ossa corrodi, adeoque sicca potius. Nares infestat foetor, qui huic malo quandoque maximus adesse solet: id enim omnes testantur, foetorem esse maximum, qui etiam sulphure combinationis principio iam destructo a non concesso aere putredine exoriente abesse nequit. Auribus dolores ipsos ab ægro relatos, querelas & eiulatus percipimus, dolor enim in hoc morbo ab humore acerri- mus oritur, qualis præ aliis in lue venerea se manifestat. Hic autem potissimum dependet ab affecto perioestio; os enim quando læditur solum, nullus dolor percipitur, te- stante *Mangeto in Bibl. Med. Pract. p. 659.* Notabile tamen est, dari indolentem penitus cariem, etiam in dentium extrema longitudine, & alias, pro modulo causæ, superius iam tactæ.

§ 7. Præter hæc etiam dolor magis observatur, quando caries est magis in fieri adhuc, quam in facto. Videri de hoc & legi meretur elegantissimus locus *Coi l. 2. de morb. c. 24. t. 1.* Cum caries sit in osse, dolor ex hoc corripit ipsum os, & progressu temporis attenuatur ac inflatur, & fit in ipso *κρίταγμα*, q. d. fractura (ac si læsio alias ab extra facta fuerit.) Plura occurrunt *ibidem*, vt & *c. 7.* in eoque loco videri meretur *P. Salius Diuersus in comment. p. m. 213.* Instrumenta tandem & hic sunt ad explorandum vtilia, nimirum specillum, quod per vlcus ad vsque os ipsum intruditur: aut si introitus arctior sit, quam qui hoc recipere queat, suadente *Verduccio in scriptis Chirurgic. part. 2. p. 126.* setam adhibemus: sæpe enim osculum externum est angustissimum, cum interne cavitas sit maxima, notante *eo- dem p. 107.* His autem deprehenditur os asperum, inæquale & fora-

32 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
& foraminulatum, iuxta superius dicta. Deprehenditur
etiam *mollities* ossis, adeo ut stylus per illud ad instar ligni
cariosi transadigi queat; licet etiam in hoc fallat inter-
dum scrutator, cum ossa ab aëre quandoque ita induren-
tur, ut trepano vix sint superabilia, notante *Parao Chirurg.*
lib. 18. cap. 26.

§. 8. Ordo monet, ut ad SIGNA PROGNOSTICA ac-
cingamur, quibus docemur de morbi nostri euentu. Sta-
tuendum itaque est procul dubio, quod ea caries, quæ *re-*
cens est, & vix initium egit, multo facilius curari possit,
quam illa, quæ ab aliquot iam temporibus duravit, iuxta
illud Poëæ:

*Principiis obsta: sero medicina paratur,
cum mala per longas inualuere moras.*

Malum enim est chronicum ad multos se annos extendens,
adeo ut per XXV. annos durasse meminerit *Manget. l. c.*
imo ad XLIV. Clarissimus Wittenbergensium Professor
B. D. *Sperlingius* in Serenissimo Principe notauit; præ-
sertim si ab interius extraversus malum procedat, ut in
spina ventosa accidit. Difficulus etiam curatur caries
profunda, & quæ in corpore producit cacochymico, ut
in scorbuticis confirmatis, leprosis, lue venerea infectis,
aut aliis, ubi cum totius consumptione malum finiri
solet. Nec facilius est ea cariei species, quæ spongio-
sum os impetit, cum ibi maior humorum fiat collectio,
quod in osse sicciori, solidiorique metuendum non est, ci-
tante *Lemery in Medic. Ossium lib. 3. p. 326.* Eadem de causa
ossa oculorum, oris & narium, si vlceribus afficiantur, fa-
cilius cariantur. Par ratio est, si caries circa tendinem, ner-
uum, iuncturam, aut vas aliquod sanguiferum maius de-
prehen-

prehendatur : ibi enim non commode possumus necessarias Chirurgicas instituere operationes, læsis enim dictis viciniis, vel incidendo, vel corrodendo, imprimis in nervis facillime conuulsi moriuntur ægri. Maximum quoque imminere solet periculum a diris symptomatibus, doloribus vrgentibus, feбри acuta, delirio & inflammatione, quibus sæpe homo corruit. Consistens & definita manens tutior, progrediens vna cum symptomatibus parum boni portendit. Et prognosis hæc tum euentus, tum temporis & modi euentus terminum definit. Si enim particularis & leuior est, vt exemplo capitis, elogio *Coi l. II. de morb. c. 2. αὐτὴν ἢ ὕστος & θανάσιμος ἐστὶ*, *hic morbus letalis non est.* Sin vniuersalis magis, & symptomatibus grauioribus stipata, visa inde orta epilepsia, deliria aliaque, & tandem mors ipsa.

§. 9. *Curari* autem morbus nequit, nisi prius os affectum penitus extirpaueris, vt frustraneum sit carne vlcus claudere, saltim constanter, hoc nondum remoto, monente *Etmiüllero l. c. p. 109.* Procurandum igitur, vt abscedat os cariosum, aut sponte sua, aut ope instrumentorum, quod apud Chirurgos audit exfoliatio. Hæc in alia carie longius, in alia breuius requirit tempus: si enim sit exigua & in superficie, intra XXX. vel XL. dies contingit; profundior autem & vetus multum requirit tempus. Vid. *Vigo Chirurg. part. 2. l. 1. c. 20.* Si violentia externa causata fuerit cariem, exfoliatio fit citius; a contusione enim soluuntur facile ab inuicem ossis particulæ, quæ postea leui naturæ conatu extruduntur. Non autem omnia hoc modo corrupta ossa exfoliantur, illa enim, quæ perioestio carent, particulatim quoque non abscedunt,

34 DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA
vt in dentibus fieri videmus. Cum autem intersit futu-
ram prænoscere exfoliationem, prædicitur ea a dolore, qui
a contactu styli mouetur & vacillatione. Remoto sic osse
inutili, eius locus vacuus aut carne repletur præuio tumo-
re aliquamdiu, dolore & colore rubicundo. Vid. *Zwing.
Theatr. pract. part. 2. p. 323.* Vel relinquit post se foueam,
inprimis si maior fuerit, vt integra ossa sint absumpta.
Sic in eroso osse nasi collabuntur nares, eiusque fastigi-
um humiliatur, & facillime malum ad palatum per medi-
um etiam fornicem & cerebrum serpit, vt vult *Musit. in
Chirur. p. 143.* Item vbi os palati hoc eroditur, non solum
vitiatur sermo, nisi cura palliativa hoc auertat; sed etiam,
quæ æger per os assumit liquida, per nares regurgitant ali-
quando. Tacemus, quæ alia huc possent adduci, B. L. di-
mittendo ad citatos autores, præsertim *Heynium in libr.
de morbis ossium*, & præ omnibus ad eruditum illud Angliæ
Medicorum decus *Cloptonem Haver* in tr. quem *Osteolo-
giam nouam* insignit doctissime scripto.

CAPVT V.

De

Curatione.

§. I.

IN CVRATIONE autem quo felicius procedamus, opus
est, vt prius ex MEDENDI METHODO indicationes
debitas formemus. Quare vt indicantia prius præ-
mittamus, sistunt se nobis os ipsum cariosum corruptum,
humor acris & rosius, tandemque fouentia, & symptoma-
ta varia. Illud, cum nulla arte ad pristinum statum per-
duci

duci queat, exigit sui remotionem, iuxta prudens illud *Ovidii Nasonis* dictum:

- - - *Immedicabile vulnus*

ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

Ille, utpote mali huius causa, qua non sublata prioris remotio frustranea esset, dum semper repullulans ad reliqua progreditur ossa, indicat correctionem, ut nimirum character rosius destruat, acida acrimonia rosua edulcetetur & visciditas attenuetur, illud autem quod hoc modo corrigi non patitur, penitus eiiciatur. Hæc autem ut varia sunt, ita non vno modo tractantur, ut ad frugem redeant. Sic vlcus consolidandum & expurgandum, contusio solanda & restituenda, dolor mitigandus, vigiliæ temperandæ, & alia pro re nata sunt instituenda.

§. 2. Indicata, quæ his respondent indicationibus, ex triplici curationis fonte sunt desumenda. Ad ossis corrupti remotionem ergo ex CHIRURGIA auxilium est petendum, qua commode & breui opera totus labor perficitur. Diuiditur autem commode tota hæc operatio in præparationem, actionem ipsam, & consequentia. Præparatio includit 1) explorationem seu inuestigationem partis affectæ, quæ fit ex supra dictis tum oculo, tum instrumentis, de qua hic pluribus agere superfluum foret. 2) Detectionem in eo casu, ubi os denudatum non est, eaque fit vel sectione, vel extensione, vel cauterio potenciali. Sectio instituitur scalpello aut lancetta, secundum fibrarum carnearum ductum, cauendo sedulo nervos, tendines & vasa maiora sanguifera, ne ex horum læsione immobilitas membri, convulsio aut hæmorrhagia nimia oriatur. Incidendum est ad vsque os ipsum agili, quan-

36 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
tum possibile, manu, ne æger diu torqueatur, sistendaque
hæmorrhagia, quæ quandoque leuis adesse solet. Extensio
fit per turundam ex siccis v.g. spongia arida, aut radice
gentianæ &c. confectam, quæ paruulum in vlceris osculum
inditur, vt succum imbibens aucta illud maius reddat, qui
modus in iis locis, vbi neruus aut vas est metuendum,
conuenit. Per cauterium potentiale minus fere tuto fit hæc
detectio, cum omni cura vix præcaueri possit, ne corro-
siuæ illius particulæ ad os ipsum perueniant malumque
augeant.

§. 3. Remotio ipsa, quantum ad Chirurgiam spectat,
(leuior enim quæ est caries, medicamentis quoque solis
interdum cedit,) ferro & igne absoluitur, duobus istis ab
Hippocrate iam dictis extremis remediis, qui & seorsim
loco cit. sectionem & rasionem commendat. Confer. *Cel-
sus l. 4. c. 2. & 3.* qui vel radendum vel vrendum suadet, vbi
& plura habet elegantia. Sine his cariem posse curari
negat *Doleus*. Quæ ferro fit, efficitur vel scalpro, nimi-
rum quando superficialis magis est, vbi os ad vsque co-
lorem rubicundum apparentem abraditur, qualis curatio
per totum instituta cranium facta fuit ab *Heurnio in Com-
mentar. ad VII. aphor. 2. Hipp.* vel adhibetur terebra aut trepa-
num, maxime in carie profunda, terebrando vsque dum
segmenta ossium natiui coloris secedant: vel specio vtimur
acuto & malleo plumbeo, quibus particulæ ossis corrupti
haud obsequentes naturæ & impediens vi separantur: vel
tandem volsella aut forcipe minori, pro loci aptitudine.
Igne autem medemur cariei per cauteria ferrea, igne prius
candefacta, postmodum ossi affecto aliquoties applicata,
cum cannula itidem ferrea, qua ratione mortuum hoc os a
vivo separatur.

§. 4.

§. 4. Consequentia sunt 1) super imponenda, nimirum pulveres siccantes, balsama vulneraria, mel rosatum, & alia huius farinae, modo non acria, pingua aut vinctuosa; 2) fasciatio, vt superimpositis his pulueribus lintheaminibus carptis & compressis, vel fasciis defendatur reliquum ab externa omni aëris & alia violentia. 3) Consolidatio, quæ partem vacuum reparatis fibris carneis implet, & sic lacerato corpori integritatem rursus foeneratur, consolidantibus, balsamicis, pulueribus & emplastris obtinenda. Alia quoque ex Chirurgia huc spectat operatio, nimirum si membrum quoddam totum totum exesum est, vt non sit reparabile, illius necessaria est extirpatio serra, cultro aut forcipe maiori, pro re nata, instituenda, vrendo postmodum vasa maiora ad præcauendam hæmorrhagiam lethalem, & adstringentibus, ischæmis, aliisque emplastris, quibus superimponenda lintea, muniendo.

§. 5. Acrimonia rosua acida tum in toto, tum in parte est corrigenda. In toto hoc facit VENÆ SECTIO, inprimis in plethoricis, iuuenibus, & quibus solitæ sanguinis fluxiones substiterunt, non solum euacuandi gratia, vt sanguinis copia & quantitas humoris peccantis imminuatur, sed etiam deriuandi ergo, vt aliam versus partem, potissimum excernicula, materia deducatur. Huius in locum & CVCVRBITVLÆ possunt recipi, non autem cum tanta utilitate. Reuocanda huc sunt euacuantia, medicamenta vniuersalia, cum primis PURGANTIA, quæ lympham acrem expurgant, pro vrgentia etiam iteranda; qualia sunt *rhobarbarina*, *belleborus niger*, *elaterium*, *resina scammonii*, *gialapa*, *magister. gummi de Peru*, & præ aliis omnibus *xius dulcis*, vtpote qui optime hanc acrimoniam educit, obtundit, edulcat.

§. 6. Paria his faciunt DIAPHORETICA & DIVRETICA, præcipue in ægro seroso, & vbi malum communicatur cum toto, vt in scorbuto & lue venerea, vbi apprime sudoriferis prouincia demandatur, iunctis tamen specificis & appropriatis. Sic profunt hoc fine $\frac{1}{2}$ diaphor. $\frac{1}{2}$ le cachect. bezoard. minerale & $\frac{1}{2}$ le, $\frac{1}{2}$ auratum, $\frac{1}{2}$ natua, C.C. ust. & philosoph. maxime vero salia volatilia ad destructum sal volatile ossium restituendum, vt Θ vol. viper. ebor. C.C. succin. & alia. Item decocta lignorum, rad. china, sarsaparill. &c. $\sim$ cochlear. nasturt. zedoaria, essentia $\frac{1}{2}$ ii, fumarie, lignor. mixtura s. antiscorbutica &c. Cum cachecticis, antiscorbuticis, absorbentibus, aperitiuis, præsertim mercurialibus.

§. 7. Præ aliis apophlegmatismus vniuersalis, vt loqui amat D. Præses de facult. medicament. lib. 2. sect. 2. cap. 12. nimirum saluatio mercurialis, laudem meretur, potissimum si cum lue caries sit coniuncta, cauendo tamen excessum omnem, ne nimis inde fundatur lymphæ, & dolores generentur vna cum mali exasperatione. In genere hoc tenendum, salina volatilia, aromatica, testacea, martialia & opiata plurimum hic ferre auxilium, adeoque sedulo esse adhibenda. Vid. Musit. in Chirur. Tom. 2. c. 21. p. 93.

§. 8. Hæc interne adhibentur, quæ saltem in compendio quasi vidimus, fusius e suis loculis huc referenda. Sunt tamen & medicamenta, quæ EXTERIVS applicari solent & debent. Talia sunt aut carnem exedentia, aut exfoliationem promouentia, aut maiorem putredinem prohibentia. Quæ carnem absumunt, inter cauteria potentialia reponimus, de quibus supra dictum, ea ob facultatem rosuam minus esse tuta. Attamen Musit. l. c. Tom. 3. p. 165.

p. 165. hoc fine commendat *precipitatum dulce*, ∇ *am suam* Θ **ci*, eiusque $\sim$ &c. quæ tamen quantum iuvent aut noceant, ipse viderit. Alii ∇ *viridem*, ol. $\ddagger$ *is per deliquium*, $\sim$ $\ddagger$ *ii alb.* cum ∇ *persicariæ* commendant: Imo *Tulpius* $\circ$ *ipsum sublimatum*, nimirum *butyr.* $\ddagger$ *ii* cum oleo lini mixtum indemne dicit, cum e contrario non solum *Fabric. Hildanus* in *obseru. Chirurg. p. 399.* *Scultetus* in *armamentario*, sed & alii expresse omnia acria, in specie $\bigcirc$ *yst.* $\ddagger$ $\sim$, $\bigcirc$ *lum* & ∇ *tem* prohibeant. Scorsim oleum $\bigcirc$ *li* ossibus inimicum & infelicitè applicatum notavit *Kerckringius obseru. 58.* Omnia ergo hæc talia cum grano salis sunt & intelligenda, & applicanda.

§. 9. Ea, quæ ossis abscessum adiuuant, externe immediate ipsi apposita, adeo multa & varia sunt, vt ea hic enarrare locus non sit; sufficiat ergo notiora & potiora notasse. Veteres iuxta *Aëtium Tetrab. IV. sermon. 2. cap. 56.* veteres nuces, imo sordes matulæ adhærentes huic ministerio destinabant, admixta cedria, sat sordide. Hodie commendant plerique & tantum non omnes præ aliis *Euphorbium*, cuius effectus fidelissimos passim laudant autores, vt *Fallopium*, *Overkamp. l. c. p. 384.* *Musitanus*, *Lemery*, *Hildanus*, & præ aliis omnibus optime de cura hac, & viribus euphorbii curiose agit *Muys Dec. I. obs. 8. p. 48.* vbi scribit, se puluerem euphorbii inspersisse, quod multum salis volatilis, & quidem acerrimi continet, atque ita breui tempore omnis caries forma pulueris impalpabilis ex vlcere sensim euacuata fuit. *Purmannus* aliis præponit phlegma $\bigcirc$ *li*, verum tamen, non adulteratum, quo solo cum linteo madefacto quotidie ter imposito cariem cranii, neglecto scalpulo, se sanasse affirmat. Eius tamen contrarium iam tetigimus, nisi bene hæc

40 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
hæc distinguamus, phlegma & oleum Oli, ipsamque ossis
læsionem. Sic *oleum caryophyll.* egregie facit officium, vt
aliquot guttulis aspersis statim nigredo albescat, vt sæpius
ex ore *D. Presidis* audire licuit. Celeberr. *D. Muralt.* ꝑ
myrrb. & *guaiac.* cum hoc miscet & exfoliationem citam
inde promittit. Tacemus *pulu. rad. aristol. ireos Flor. oliban.*
ꝑ *camphoræ verum, rad. bryon. peucedani, amalgama ꝑii,*
ꝑ *cochlear.* † *radicat. Ram euphorb. pyretbri, scordii,*
sabina, serpentaria Virginiana, abrotani, s. ꝑ compositam.
aliaque ꝑꝑta. Alia vero pingua communia sordida ossi-
bus non quadrant, sed nocent potius, & facile poros & tu-
bulos ossium obstruunt.

§. 10. Quæ tandem post exfoliationem externe
adhibentur, balsamandi & consolidandi gratia imponun-
tur. In his palmam præripiunt reliquis *Elix. vit. Balsam.*
diuin. & *Balsam. Arcei*, quibus solent apponere *Bals.*
propr. per infusionem, mel rosat. Ram myrrb. aloës,
oliban. tereb. Elix. propr. bals. neruin. emplastr. de
ran. c. ꝑ Vigonis, ꝑ de hyosc. Sunt qui hac de cau-
sa auro foliato foramen dentis cariosi implent, cum
hoc metallum maxime omnium perfectum, & a corru-
ptione sit alienum, verum an auxilium speratum præstet,
autores affirmant.

§. 11. Ad tertiam indicationem Symptomatibus
occurrendum, suo cuique specifico. Sic in lue venerea iam
laudata *saluatio, sudorifera, decocta lignor. rad. Chin.*
infusum ex iisdem proficuum, non opus est vt repetantur;
vt & in scorbuto interpolanda seorsim sunt antiscorbutica,
~ *cochlear. beccabung. ∇ antiscorbut. Elix. antiscorb. sir.*
sceletyrbicus, conseru. fumar. cochlear. &c. In malignis be-
zoardica

zoardica & cordialia, cum sudoriferis & diaphoreticis &c. In vlceribus & fistulis digestiua, mundificantia, consolidantia, balsamica, alias adhiberi solennia, cum dictis miscenda. In doloribus & vigiliis nimis anodyna & opiata, somnifera, adhibentur, omnia iuxta suæ indicationis modulum.

§. 12. Restat vt DIÆTAM quoque ordinemus ægro, vbi 1) Aër sit purus & temperatus, minime omnium frigidus, affectui huic nocentissimus. 2) Cibi sint boni succi, concoctu faciles, non acres, acidi, salini, muriati, fumo aut aëre indurati, vti & ipsa medicamenta omnis acrimoniæ sint expertia, non dicta oleosa, aut pinguia. Potus autem vitetur acidus, austerus, non fermentatus, feculentus; conceditur potus Thee, Coffe, ipsiusque vini. 3) Motus ne sit nimius, nec vigiliæ imperentur, æger potius somno se reficiat, & quiete gaudeat moderata. 4) Aluus & vesica suum faciant officium, si renuant, lenientibus & diureticis admoneantur. Fugiatur venus inprimis nimia, & inhonesta. 5) Animi pathemata freno coercantur, nec ira nimis sanguis exæstuet, vel terrore & tristitia spiritus deprimantur, iuuat animum habere hilarem, & in omnibus esse moderatum.

SOLI DEO GLORIA.

F Claris-

Clarissimo Doctorando

S. P. D.

PRÆSES.

CUm etiam in Chirurgicis optimum sit recurrere ad fontem, *Hippocratem*, in loco classico de *carie Cranii l. 2. de morb. c. 24.* non leue occurrit exemplum examinandi textus. Dixerat enim: quibusdam os inueniri etiam διαβεβρωμένον πρὸς τὸν ἐγκέφαλον, *pereſum* usque ad cerebrum. Hoc, pergit, vbi certoprehenderis, ἢν μὲν εἴη πύρην διαβεβρωμένον, εἴαν ἄριστον, καὶ ἰῆσθαι ὡς τάχιστα τὸ ἕλκος, *siquidem ultra, trans, perfecte, reuera, pereſum fuerit, finire optimum, & sanare quam citissime vlcus.*

Verba hæc clarissima reformare contendit *P. Salius Diuersus*, & loco εἴαν, legendum & reponendum ἀίρειν, *tollere*. Suggestit τὸ εἴαν de variandis lectionibus cogitandi occasionem. Quantum huius est loci, tam diu retinenda est lectio, quamdiu non nisi cogimur cogitare de alia, & magis quidem congrua & commodiori.

Id vero vel ex re ipsa, & contextu, vel ex voce, vel vtrisque potius desumendum est. Qui manuscripta vnicam regulam statuunt, mirum quan-

quantum errant, vbi enim sunt illa? Et si adsint, multitudo horum errantium quomodo parit errori patrocinium? Longe aliter saniores procedunt Critici, & vt tres saltem nominemus, *Salmasius*, *Barthius*, *Reinesius*, qui posterior in codice Chimico Græco Mss. ex ingenio plus quam centum, ne plura dicam, loca sua manu correxit. Quid dicam de *Cornario* nostro, cuius Galenum ostentat Bibliotheca nostra Academica?

Satis sit consentire nomina rei, respondere sty- lum autoris, & analogiam, velut typum genuinum, loquendi & scribendi. Quid multa? Textus hic noster est longe clarissimus, relinquendum esse τὸ εἶναι, neminem decere ἀγεῖν. Quid enim tollet, si perforatum sit cranium, & velut trepanatum?

Quare ratum sit, quædam in critica hac genuina esse suo autori asserenda, non aliena, quædam tollenda, vel corrigenda merito, singula modeste. Hæc addenda impressis visa, dato leuiculo spatio, quo pacto plura ex *Coo* eodem, *Eresio*, aliisque, etiam vulgo prætermissa, emendare sustinuimus. Deus O. M. aspiret vltius Tuis laudabilibus conatibus FELICITER! Dab. e museo ἀνθροποδιαστ. MDCCXIII. D. III. Nou.

Ne

NE careas clari medici, CHARIS-
SIME STVSSI!

*Nomine, purpuream Tibi dat medi-
cinatiaram,*

*Præmia præclaris monstrans sic di-
gna laboris,*

*Dum cariem docta tentas describere
penna,*

*Et qua sit simul hic morbus curabilis
arte.*

*Gratulor, & precor ut capias hos fau-
stus honores,*

*Et tua docta manus pergat depellere
morbos:*

*Sic poteris nunquam merita quoque
laude carere.*

Nobilissimo & Clarissimo DN. DDO
*honores meritos gratulatur cum omnigena felicitatis
successuumq; voto*

Io. IAC. FICKIVS, Phil. & M.D.